



a 55 18
f. f.
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
PACTUM
De 1675. 13

RETROVEN- DENDO

continens,

Quam,



PRÆSIDE ALTISSIMO,

*Ex Autoritate & Decreto Magnifici Rectorum
Ordinis in inclita Noricorum
Universitate,*

pro

LICENTIA

Summos in Utroqve Jure Honores, Pri-
vilegia ac Doctoralem Infulam, more Majorum,
ritè conseqvendi,

*Publico & solenni Examini
ubmittit*

JO. FRIEDERICUS REINMANN/
SALFELDA-THURINGUS,

Jur. Pract.

Ad diem 7. Octobr. Ann. M DC LXXV.

ALTENDORFFI,

Typis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

+2.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. FRIEDERICO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
VIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIO
THURINGIÆ, MARGRAVIO MISNIÆ,
PRINCIPI COMITATUS HENNEBER-
GICI, COMITI MARCÆ ET RAVENS-
BURGI, DYNASTÆ IN RA-
VENSTEIN,

*Principi ac Domino suo Clemen-
tissimo*

Inauguralem hanc

cum voto felicissimi Regiminis

sacram esse voluit

Subditus devotissimus

Jo. FRIEDERICUS Reinmann.



2003.

I. N. J.

Vnde felix ac faustum sit, nostrâq;
Divâ, cuius nos meritò Sacerdotes
appellat Ulpianus

in l. I. §. I. ff. de Just. & Jur.

haud fiat invitâ, de retrovenditionis pacto, loco
inauguralis, impræsentiarum verba pro virili
facere animo constitutum est. Nec injuria:
siquidem lucubrations præsentes hodiernâ luce
in foro maxime sunt obvia, hincq; probè consi-
deranda, apprimè vero, qvia modum, con-
tractum emptionis & venditionis à pignora-
titio dijudicandi, clarè monstrant, qvâ de re
alias in judicio lites non raro redduntur im-
mortales. Sed citra ambages manum operi
admovebo, & laudatam materiam ita ad ju-
ris & justitia trutinam examinabo, quo
eius sedes & cognitio facili appareant negotio.
Sit itaq;

A 2

CAP.

C A P. I.

*Definitionem Pacl*i de retroven-
dendo tractans.**

§. 1.

Scribendirationi omnino conforme est, ut, qvi sibi qvid sumunt pertractandum methodicè, Ciceronianum istud altâ teneant reposum mente: *Omnem nostram institutionem à definitione ortum debere trahere, ut sciamus, quid sit id, de quo disputamus.* Huic sententiæ Julianus suum quoq; adjectit calculum, dicens: *Animad-vertendum est, quid sit id, de quo queritur.*

L. 13. §. 3. ff. de reb. dub.

Nimirum omnis disputatio tricis involuta est difficillimus, nisi id, de quo ea instituitur, rectè ab initio definiatur.

Arist. Top. 3.

Hinc factum est, ut definitio rei qvædam amissis & totius exactæ tractationis non tantum fundamentum salutetur firmissimum, verum etiam scala ad scientiam, qvâ neglectâ, pronus admodum & præceps in tractatione rerum solet esse lapsus.

§. 2.

Cum verò in definiendo ob materiæ hujus obscuritatem Doctores variæ variè variant, mihi sequentem componere vix fuit descriptionem: Videlicet, *quod sit conventio inter emtorem & venditorem, ut venditori pretium intra certum tem-
pus, vel ad certum tempus, vel quandocumq; iterum offeren-
tes vendita restituatur.* Priusquam verò ad jam propositæ definitionis, vel potius descriptionis enucleationem acces-

sum

sum faciam , lubet hanc movere qvæstionem : Num Pa-
ctum hocce sacris Pandectis ac LL. nostris repugnet ? Ne-
gando planè respondetur , siquidem divinum jus,

Levit. XXV, 23. & 24.

civile ,

l. 12. ff. de prescript. verb.

l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. comp.

& Canonicum

arg. C. 5. x. de empt. & vendit.

& cap. 4. x. de pignor.

istud cretâ notant. Add.

Gloss. cum Dd. ad dict. cap. 5.

Nec immerito , sicut enim emptio licita est sine pacto de re-
trovendendo , ita pactum istud lege qvādam prohibitum
non est , nec etiam in contrahentium injuriam aut præjudi-
cium vergit , proinde omnino emtione venditioni adjici po-
test , ut latius & quidem eleganter demonstrant

Ludov. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. diss. 375. pertot.

Covarruv. l. 3. var. resol. cap. 9. num. 4.

Andr. Tiraqvell. de retract. convention. in prefat.

Dom. Cardin. Tusch. Pract. Concl. lit. P. conclus. 24.

num. 1. & seq.

Quod si enim venditio sine mediis illicitis fiat , h. e. pretiō
justō , qvamvis ei pactum de retrovendendo adjiciatur , ta-
men ejusmodi contractus nomine usurarii haud venit , neq;
etiam pignoratius est , qvia ex pacto de retrovendendo non
præsumitur pignus ,

autore Bald. conf. 114. volum. 3.

Conf.

Hartm. Hartmann. lib. 2. tit. 22. O. 4. num. 2.

Quin imò in conscientiæ foro sanctissimo pactum prædictum.
justum judicarunt Dd. sanè haud infirmi subsellii.

6.:) 6. (:~~sc~~

Cœpoll. tract. de simul. num. 26.

Tiraqvell. de retract. convent. in pr. num. 4.
præprimis

Roland à Vall. volum. 4. conf. 58. num. 10.

ubi sequentia proponit verba: *Hunc in modum omnes Theologos, Legistas & Canonistas pronunciaſſe, sc̄q; non aliter judicaturum eſſe, etiamſi in conſpectu DEI eſſet.* Cujus rei rationem omnino plauſibilem ſubjicit

Stuck. part. 1. conf. 2. num. 48.

Qvemadmodum enim, dicit, ſecundum JCrorum brocardum non emere aut non vendere in cuiusvis manu poſitum eſt, ita nec prohibitum eſſe potest, emptionem & venditionem certis circumſcribere limitibus, aut ad certam rationem modumve eam reſtringere.

Add. Hahn. ad Wefenbec. w. tit. de reſcind. vendit.
num. 8. in fin.

Sed haec omnia cum demum procedunt, ſi pactum noſtrum ſimulationis cuiusdam macula & vitiō haud laboret, nec circumſtantiae labis uſurariæ qvandam p̄r se ferant ſpeciem.

Perez. in Cod. de paſt. inter empt. & vend. comp. n. 11.

Fach. l. 2. controverſ. cap. 12.

Stuck. p. 1. confil. 3. num. 13.

Zoēl. ad ff. poſt. tit. ff. de L. Commiff. rubr. de retract.
num. 1.

Hæc de p̄ſenti qvæſtione ſufficient. Nunc neceſſum erit, ut datae deſcriptionis diſquviſitio, à qvâ primordia, ſecundum Logicorum filios, coepi, mihi curæ cordiq; ſit, qvod & pro opibus eſto.

S. 3.

Generis loco certis de cauſis posui conventionem. Qvod vocabulum licet minimè latius pateat, quam ipsa paeti ſignificatio.

l. x.

1015.

S: (7.) S:

I. 1. §. 3. ff. de paet.

I. 3. ff. de pollicit.

ambo enim synonyma sunt.

Zoëf. in Comment. ad ff. de paet. num. 2.

Colleg. Argent. ad tit. de paet. lib. 2.

Generis tamen vicem jure meritoq; hic sustinet , cum pa-
stum nomen generis & speciei pro re natâ assumat , ut JCti
eodem promiscuè uti soleant ; conventionis verò nomen
generale & latisimum sit , juxta

dict. I. 1. §. 3. ff. de paet.

Dn. Tabor. in part. Elem. Inst. p. 3. sect. 3. n. 32.

Ungepaur. Exercit. Just. 10. q. 7. in ajo.

§. 4.

Præterea dixi , inter emtorem & venditorem : Horum
enim consensus ut in ipso principali contractu , ita etiam in
paeto hoc ei adjecto de essentia ejus est , adeòq; unicè venit
inspiciendus . Ad ejus verò consensus validitatem requi-
ritur , ut natales suos libero atque sincero animo debeat ,
metus hinc atque error absint , imò procul absint , nihil
enim consensiū tam contrarium est , quam metus atque
error.

I. 116. ff. de Regul. Jur.

Idcirco etiam errantem plenam non possidere voluntatem
dicitur in

I. 11. ff. de sponsal.

I. 1. I. 2. I. 3. ff. quod met. cauf.

§. 5.

Sequuntur in definitione verba : ut venditori . Haec ideò
adjeci , quò clarè ob oculos ponerem , in arbitrio venditoris
facultatem redimendi regulariter sitam esse.

Ord.



Ord. Polit. de A. 1548. tit. von wucherl. Contract. §. 8.

Dn. Richter Decis. 97. num. 10.

Tametsi interdum in emtoris placitum ea quoque conferri queat.

Dn. Struv. Exerc. ad Pandect. 23. th. 47.

puta, si emtione cum pacto de retrovendendo haec inserta fuerit lex, ut, cum emtor rem vendere voluerit, primus vendor eam, redditio pretio emere teneatur.

Dn. Richt. Decis. 97. num. 11.

Qvod pactum itidem licitum est. Nam cum ordinariè hoc nostrum pactum emtorem adstringat in favorem vendoris, quidni & in favorem emtoris utile erit? cum paria sint contrahentium jura, nec detur congrua discriminis ratio.

Vid. Dd. ad l. 3. ff. de contrah. emt. & vend. & l. 31. §. si
quid ita. 22. ff. de adil. Edict.

qui hujusmodi pactum approbant; modo adjunctum contractum non faciat suspectum labis usurariae,

juxta cap. illo vos. x. de pignor.

& Covarruv. l. 3. var. resolut. cap. o. num. 3.

Hoc casu tamen vendor pro suo lubitu emtorem ad revenendum cogere nequit, sed exspectare debet, donec ipse emtor rem revendere velit.

Dn. Richt. de paet. p. m. 227. num. 84.

Fruitus quoque intermedio tempore percepti ad emtorem pertinent, cuius res tota tempore intermedio fuit, ut solidè demonstrat

Molin. de Just. & Jur. Tr. 2. disp. 377. num. 4. & seq.

principiè num. 8.

Add. inferius dicenda.

§. 6.

Qvod verò redditus annuos redimibiles, qui vulgo dicuntur wiederkaufliche Zinsen / attinet, de iis sciendum est, in eorum

viii.

•••:(9.)•••
rum venditione sub ejusmodi pacto, facultatem reliuendi soli
venditori relinqvendam esse.

Rauchb. p. 1. q. 19. num. 15.

Gail. l. 2. O. 7. num. 14.

Anton. Fab. in C. lib. 4. T. 30. d. 22. num. 2.

Hartm. Pst. Observ. 63.

Carpzov. p. 3. C. 24. def. 16. num. 1.

Tum, qvia emtor nummos cogitur irrevocabiliter facere
venditoris.

Dn. Richt. Vol. 1. Conf. 37. num. 12.

Qvod non faceret, si facultas revendendi annuos redditus in
arbitrium & potestatam ejus collata esset. Tum etiam, qvia
contractus hic limites usurarii attingeret, si venditor pretium
reddere cogeretur.

Rauchb. p. 1. q. 19. num. 1. § 2 num. 16.

Add. d. Ord. Polit. de Anno 1548. Tit. von wucherlischen
Contracten. §. 8.

Verba Recessus ita se habent:

Und die Loßkündigung der Güld-Verschreibung auf
Wiederkauff / wie Wiederkauffs Rechte / soll bey dem
Verkäuffer und nicht bey dem Käuffer stehen / unanges-
sehen wie dieselbige Güld-Verschreibung gestellet / und
was darüber gegeben / genommen / oder gehandelt / wol-
len wir / daß dasselbe und alle andere unziemliche Paeta
oder Gedinge für wucherlich und unkräftig geachtet /
gehalten und von dem Richter erkanni werden sollen.

Si itaq; in horum emtione nihilominus emtor retrahendi
potestatam sibi reserveret, paetum hocce, tanquam in capta-
tionem usurarum appositum, illicitum reputatur.

Althus. Dicæol. lib. 2. cap. 2. num. 47.

Carpzov. p. 1. Dec. 9. num. 4.

Id. p. 3. c. 24. d. 17. num. 1.

B

Add.

Add. Ordin. Polit. de Anno 1548. Tit. von wucherli-
chen Contracßen. cit. §. und nachdeme. 8.

Eciamsi contrahentes Imperii Constitutionibus expressè re-
nunciaverint.

Hahn. Tit. de usur. & fruct. num. 14.

Qvia ejusmodi renunciatio ne quidem jurata, contra Imperii
LL. & Constitutiones valida est.

Carpz. p. 3. C. 24. def. 17. num. 8.

Limitationes ratione hujus negotii vide apud

Hahn. Tit. de usur. & fruct. num. 14.

Inter eas autem hasce pro nunc annotare lubet, si forsan ven-
ditor moram in præstandis annuis redditibus commiserit, qvo
casu emtori potestas redimendi sortem competit.

Carpz. ad C. Elect. 24. p. 3. def. 18.

Id. p. 1. decis. 9. num. 6.

Anton. Fab. in C. lib. 4. Tit. 30. def. 22. num. 6.

Ethoc multò magis procedit, qvando in casum moræ, à ven-
ditore commissiæ, ex pacto sibi emtor facultatem sortis repe-
tenda reservavit.

D. A. zu Speyer. de Anno 1600. §. ferners ist bis ans
hero. 35.

Porrò, si contrahentes ab emtione recesserint, eamq; in mu-
tuum converterint

Dn. Richt. in Tr. de privileg. Cred. c. 2. memb. 6. n. II.

Carpz. p. 3. C. 24. def. 19.

S. 7.

Ultima descriptionis verba : *ut venditorē pretium intra
certum tempus, vel ad certum tempus, vel quandocunq; iterum of-
ferenti res vendita restituatur*

ex l. 2. C. de pacl. inter emt. & vendit.

manifesta evadunt, nostriq; pacti tenorem continent, qvod
scil.

2017.

scil. sive ipse venditor, sive etiam ipsius heredes emtori premium vel quandocunq;, vel etiam intra certa tempora obtulerint, fundus venditus restituendus veniat.

d.l. 2. C. de pact. inter emt. & vendit.

Unde postmodum regulariter juxta arbitrium venditoris emtor ad rem retrovendendam cogi poterit.

Zoël. de retratt. num. 2.

C A P. II.

Personas, quibus & contra quas jus hoc ex predicto pacto quæsิตum competit, examinans.

§. I.

PAETUM hocce de retrovendendo non tantum ipsi venditori, verum etiam ejus heredibus prodest, cum pacta regulariter ad heredes transeant.

l. 49. ff. de O. & A.

Gail. 2. O. 2. num. 3.

ubi disertis verbis dicit: quod conditio potestativa, cuius implementum versatur circa resolutiones contractuum, ad heredes transmittatur. Et haec assertio ampliatur, ut procedat (1) non solùm *in libertis & descendéntibus*

Hartm. Pift. l. 1. q. 21. num. 2.

Mod. Pift. Cons. 11. incip. Solche Fragen. n. 7. v. 1.

Dom. Card. Tusch. Pract. Concl. lit. P. Concl. 25. n. 4.

Sed etiam (2) *in heredibus collateralibus*, ad quos jus redimendi, ceu jus quoddam obligationis ex contractu vel pacto acquisitum, transit.

Dn. Richt. de pact. pag. m. 239.

Imò in omnibus aliis etiam extraneis & ulterioribus heredibus locum habet, cum appellatione heredum omnes heredes in infinitum veniant.

l. 65. ff. de V. s.

Sive (3) heredum facta fuerit mentio, sive non.

l. 9. ff. de probat.

l. 13. C. de contrah. & committ. si pul.

ibiq; Dn. Brunn.

Hartm. Pift. Observ. 154. num. 3. & 5.

Dom. Card. Tusch. dict. loc.

Ut maximè enim concedatur, paclum de retrovendendo esse personale, exinde tamen heredis persona haudquaquam ab eo excluditur, quia cum contrahente heres usque eò megnam habet similitudinem, ut etiam ratione juris, eadem cum ipso persona esse censeatur.

l. heredem. 59. ff. de Reg. Jur.

Carpzov. p. 2. C. 1. D. 10. num. 4.

Tùm notandum, qvòd intentio contrahentis talis in dubio esse præsumatur, ut non solùm sibi, sed etiam heredibus suis omnibus modis prospiciat.

l. 9. ff. de probat.

Perez. ad C. tit. de paccl. inter emt. & vend. n. 8.

§. 2.

Addunt (4) & plures hanc extensionem, qvòd idem obtineat, licet particula taxativa, qvòd venditori soli, vel illi tantum competere debeat jus reluendi, fuerit addita.

per l. 8. §. 4. ff. de pignorat. act.

Hartm. Pift. O. 154. num. 4. & seqq.

Hinc & Bald. asserit, dictiōnē taxativa excludere tantum personas planè extraneas, non autem successores. Urgent denique & hoc, qvòd taxativa dictio non excludat casus similes, eandem vel similem rationem habentes. Verum utut

1018.

ut hæc speciosa sint, attamen alii Dd. contrariam approbant sententiam, qvòd scil. heredes hoc casu non admittantur, partim

propter L. non solum. §. ff. de liberat. legat.

Ubi tale legatum: Herer meus à solo Lucio Titio ne petito, ad heredem Lucii Titii non transit. Partim etiam propter rationem, qvòd dictiones taxativæ affirmativè positæ omnes alias personas & casus præter expressos, excludant. Et hanc posteriorem sententiam approbat

Tiraqvell. de retract. convention. §. 1. Gloss. 6. num. 6.

& seq. ubi ad dubia in contrarium propofita respondet.

Imò & ipse dissentiens Pistor. hanc suam doctrinam eo in casu limitat, qvando vendor sibi ipsi & nulli alii jus reluendi reservavit: Wenn ers für sich selbsten und keinen andern zum besten wieder an sich bringen möge / qva clausula pactum personale celebratum atque heredes exclusos esse probat

num. 23. usq. ad fin.

Add. Dn. Richt. de pac̄t. p. m. 240.

Berlich. p. 2. Concl. 2. n. 26.

Insuper pactum, quo demonstratio certæ personæ facta est, non transire ad heredes, ex aliis deducit & refert:

Berlich. p. 2. C. 2. n. 25.

Vide etiam de hac re plenius

Fulv. Pacian. de probat. tit. 1. c. 31. n. 8.

Bertazol. de claus. Inſtrument. claus. 12.

§. 3.

Nec silentii ſipariō hīc involvendum eſt, qvòd ex prædicto pacto emergens jus, mediō cessionis, in alterum etiam extraneum transferri queat, ut recte post

Tiraqvell. de retract. consangu. §. 26. Gloss. 3. n. 1.

statuunt

Fachin. lib. 2. controvers. c. II.

Zoël. de retract. n. 7.

Dom. Card. Tusch. Pract. Concl. lit. P. Concl. 25. n. 13.
aliorum plures.

Tum quia ea, quae ad heredem transmittuntur, alteri cedi possunt.

arg. l. 42. ff. de administr. tut.

Tum etiam, quia secundum juris ordinem jura & actiones, tam personales, quam reales, in alium conventionibus transmitti queunt.

l. 22. in fin. C. mandat.

Carpz. p. 2. C. 1. Def. 12.

Et quae quis per se potest, ea etiam per alium facere non prohibetur. His adde, quod haec facultas moralis regulariter ad personam non sit restricta, adeoque perinde, ut alia jura, per cessionem in aliam personam recte transferatur.

Dn. Struv. Exerc. Pand. 23. th. 45.

Dissentient quidem

Ruin. lib. 1. cons. 72. ac

Peretz. ad C. de paet. inter emt. & vend. n. 13.

Eorum tamen dubiis satisfecit

Fachin. d. loc.

Quod si vero inter principales personas haec inita fuerit conventionio, ut venditor ipse redimat, nec alteri jus istud cedat, tunc, quod convenit, servandum est, nec valet cessio.

l. 1. f. si convenit. 6. ff. deposit.

Berl. p. 2. C. 2. n. 28.

Cagnol. in l. 2. C. de paet. inter emt. & vend. col. 8. vers.
limita nisi pactum.

Extra huncce casum, licito modo facta cessione, omne jus, quod cedent venditori in rem venditam competit, cessiona-

109.

ff. (15.) : sc.
fionario competit, & actio, quæ competebat cedenti, com-
petere incipit ei, qui jure cedentis utitur.

Gail. l. 2. O. 26.

Tabor. in *Thesaur. Loc. Comm. Jurispr.* l. 3. cap. 16.

AN. 2.

§. 4

Sed hic non incongruè queritur: Si venditor habeat
plures heredes, & unus heredum offerat totum pretium, an
emtor teneatur illi totam rem revendere? Resp. Quid sic,
quia coheredes illius, qui obtulit, possunt contra eum, ut
rem communicet, agere restituto pro portione pretio.

Tiraq. de retract. convent. §. 1. Gloss. 6. n. 37. ubi plura
proponit argumenta huic facientia.

Dom. Card. Tusch. Pract. Concl. lit. P. Concl. 29. n. 24.

Dn. Brunneman, ad l. 2. C. de pact. interent. & vend.

Hinc porrò notandum, si à duobus cum pacto de retroven-
dendo res vendita sit, quod unus ex illis jus redimendi pro
sua quidem parte adversus autorem ejusque heredes non ha-
beat, ne caudiatur, si partem pretii offerat, ut partem solum-
modo redimat.

Berlich. p. 2. Concl. 2. n. 31.

Nicol. Boér. dec. 251. n. 2.

Quod si verò totum pretium obtulerit, emtor ei revendere
tenetur.

per l. 78. §. 2. ff. contrah. emt.

Fachin. lib. 2. controversial. c. 2.

Socius tamen totum pretium offerens ac integrum rem re-
dimens debet præstare cautionem de retrovendendo socio,
si is imposterum eam habere ac redimere velit.

Boér. d. dec. 251. n. 1.

Dom. Card. Tusch. d. lit. P. Concl. 28. n. 1. & seq.

Berlich. d. p. 2. Concl. 2. num. 32. & 33.

Schnei-

Schneidew. ad §. actionum. 28. rubr. de Action. ex vend.
num. 19. & 20.

Dn. Carpz. p. 2. C. 1. def. 11.

Dn. Brunnenm. add. l. 2.

Hæc haſtentus de personis, qvibus jure hoc uti concessum
est, dicta ſunt.

§. 5.

Methodi ratio insuper exigit, ut eas in scenam qvoqve
producamus personas, contra qvas hujus juris exercitium
concessum eſt, ubi in limine qvæſi ſuceptæ conſiderationis
ſe primò offert emtor, utpote qvi, oblatō iterum pretiō, ad
rem reſtituendam omnino adſtrictus eſt.

l. 12. de praefcript. verb.

l. 2. C. de pacl. inter emt. & vendit.

Emtorem deindè excipiunt ejus heredes, eodem nexus obli-
gati. Namqve heredes factō defuncti, dummodò LL. bo-
nisve moribus haud sit contrarium, contravenire minime
poſſunt nec debent.

l. 14. C. de R. V.

l. 7. C. de negot. geſt.

Dn. Richt. V. 1. conf. 52. n. 12.

Id. Dec. 65. n. 8.

Dn. Carpz. p. 3. C. 15. D. 49.

Id. in Rep. lib. 6. Rep. 73. n. 8.

Sed qvod illi placuit, ratum qvoqve habere tenentur.

Nov. 49. in præf. l. 149. ff. de R. J.

Qvo caſu conſientiam ejus exonerant.

Tab. in Thes. Jurispr. l. 8. c. 5. ax. 6.

Fab. in C. l. 7. Tit. 4. d. 1. n. 14.

Ratio adhuc alia dari potest, qvod omnia pacta, tam activæ,
quam passivæ, ad heredes tranſeant, etiamſi eorum non ſit
factio mentio.

l. 9.

2020.
S: (17. :) 50

l. 9. ff. de probat.

Schneidew. §. item. n. 24. & §. actionum. num. 17. J.
de action.

Bald. Conf. 12. Vol. 2.

Bernhard. Wurmfl. Pr. Obs. 4. n. 15. p. 287.

Addiderim & hanc rationem, qvòd heres in universum jus
defuncti succedat, cumqve eo in omnibus eadem censem-
tur persona.

Nov. 48. l. 11. ff. de divers. temp. prescript.

Adeoqve factum defuncti teneatur praestare.

Mod. Pift. p. 4. q. 140. n. 2.

Carpz. p. 3. C. 14. def. 17.

apprimè, qvia monente JCto

in l. 1. de injur.

heres omnes nervos eò intendere debet, qvòd fama demor-
tuorum virorum post cineres etiam maneat illæsa.

Tùm seqvuntur minor & Ecclesia. De minore emtoris
herede consule

Zoëf. de retract. n. 7. & 9.

ubi dicit, qvòd tali in casu nec decretô Magistratus, nec aliis
solemnitatibus, puta, Tutoris vel Curatoris authoritate opus
sit. Hic enim nulla circumventio metuenda est.

Tiraq. de retract. convent. §. 1. Gloff. 6. n. 28.

Boér. Dec. 182. n. 24.

Fachin. lib. 2. controvers. cap. 3.

Carpz. p. 2. C. 1. def. 14.

§. 6.

De Ecclesia idem qvaoqve judicium ferendum est, qvip-
pe qvæ minori alias æqviparatur, ejusqve jure qvovis tem-
pore utitur.

Fab. in C. lib. 1. T. 9. def. 20. num. 10.

Hartm. Pift. Observ. 68.

C

Carpz.

Carpz. p. 1. C. 28. def. 116.

Accedit hisce ratio certe plausibilis, qvōd injuria & iniquitatis insimulari posset Ecclesia, si rem emitam, sepositō hoc pactō, contra mentem

l. 7. §. 7. de paet.

retineret, vel potius auferret & ita cum alterius jactura, **LI.** reluctantibus, fieret locupletior.

l. 206. ff. de Reg. Jur.

Qvod tamen de ea nequaquam præsumendum est, utpote quæ cultrix & auctrix justitiae audit.

Carpz. p. 2. C. 12. def. 13. num. 3.

Eōq; ipso alteri præjudicare non solet.

Bald. in l. 1. C. de Episcop. & Cler.

Præterea in aprico est, ita piis locis favendum esse, ne aliis injuria accrescat. Qapropter quantopere etiam ea sint privilegiata, intra terminos tamen privilegii se continere debent.

Add. Zoëf. de retratt. num. 8. & 9.

§. 7.

Quæritur autem, num liberentur emtores, si interesse præstare velint? Neg. Qvia omnis obligatio iisdem modis, per quos nascitur, dissolvi debet.

Gail. lib. 2. O. 26. num. 5.

Obligatio autem de retrovendendo nata est mediante rei traditione, ergo rei traditione etiam dissolvi debet:

Berlich. p. 2. C. 2. num. 38.

Aliud quoque pro alio invito venditori obtrudi nequit contra pacatum, qvōd dāt legem contractui ejusq; pars est

l. 73. ff. de V. Obligat.

Atq; hanc sententiam veriorem & receptionem esse tradit

Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 2. c. 3. n. 20. & seq.

ubi plures eandem sententiam tenentes refert.

Probat

Probat insimul eam
 l. 2. C. de paet. inter emt. & vendit.
 dum conventionem, ut redditio pretio res restituatur, pro-
 justa habet, quæ verba nil nisi obligationem ad rem po-
 nunt.

Fachin. lib. 2. Controvers. c. 8.
 Hæc tamen assertio limitatur, ut procedat eo in casu, si em-
 tor rem cum pacto retrovenditionis emtam adhuc possi-
 deat, tunc enim præcisè eam tenetur tradere, nec præ-
 statione ejus, quod interest, liberatur. Aliud obtinet, si rei
 tradendæ facultatem amplius non habeat.

Arum. disp. ad ff. 13. tb. 8.

Zoël. dict. loc. num. 12.

Et hæc quidem in emtore ejusq; heredibus obtainent, exinde
 tamen minimè gentium concludendum est, laudatum jus
 contraterium possessorum quoque dari, cui ab emtore res
 iterum vendita est.

Dn. Richt. V. 1. Conf. 85. num. 2.

Quia pactum retrovenditionis non afficit ipsam rem, ideoq;
 ex eo non nascitur actio in rem, sed personalis, quæ datur
 contra personam emtoris, cum quo vendor contraxit.

l. fin. ff. de contrah. emt.

l. 2. C. de paet. inter emt. & vendit.

ibiq; Dn. Brunneman.

Dn. Richt. Tr. de paet. p. m. 141.

Idem V. 2. Conf. 85. num. 3. & seqq.

Zaf. lib. 1. Conf. 12. num. 34.

Bernhard. Wurmf. sup. alleg. loc.

Hartm. Hartman. pract. forens. lib. 2. Tit. 22. Observ. s.

num. 7.

ubi dicit, quod ita se habeat communis opinio, à quâ in ju-
 dicando non sit recedendum. Huc pertinet, quod natura

actionum personalium sit, ut personam obligati non egrediantur.

Mod. Pist. Conf. 13. quest. 2. num. 22.
Nec dentur contra singularem possessorem.

Berlich. p. 2. Concl. 2. num. 14.

Hoc tamen assertum eō in casu limitationi subjacet, quando cum nostro pacto vendens reservat sibi jus in re, quod virtute hypothecæ constituitur. Nam actio hypothecaria realis est, quæ in successorem singularem transit.

l. pignoris. 17. ff. de pignor. l. pignoris. 18. C. eod.
Et hæc conclusio in hypotheca speciali indubitate est, de generali quidem adhuc controversia existit, verū quod & generalis eundem producat effectum, latius demonstrat

Alexand. Trentacinq. lib. 3. Variar. Resolut. sub rubr.
de emt. resol. 10. num. 18. §³ seq.

Quæ assertio eō magis procedit, si pactum retrovenditionis judiciali fuerit firmatum hypothecā,
teste Carpz. p. 2. Constit. 1. def. 17.

Plures limitationes hūc spectantes prolixè explanavit

Berlich. p. 2. Concl. 2. num. 17. §³ seq.

Confer. Richt. de paet. pag. m. 241.

principiè Trentacinq. dict. resol. 10. num. 19. §³ seq.

C A P. III.

Pacti de retrovendendo Objectum discutiens.

§. I.

O bjetum præsenti in materia constituunt res omnes,
quæ in commercio sunt, h. e. usui hominum inservientes,
juxta Paulum in

l. 34.

5: (21.) : 50

100

l. 34. §. 1. ff. de contrah. emt.
Qvas autem natura, vel gentium jus, vel mores civitatis com-
merciō exuerunt, carum venditio frustrā fit,
alleg. l. 34.
nec consequenter retrovenditio procedit.

§. 2.

Accuratori verò mentis trutinā hīc examinandūmerit:
Num feudū qvoq; inter res objecti vicem sustinentes cō-
modē referri queat? Licet qvæstionem hanc alii pertracta-
verint, de ea tamen exercitiū gratiā mentem meam qvoq; ve-
aperire placuit. Emitionem nimirum esse titulum acqui-
rendi feudum omnibus numeris perfectum, certò mihi per-
suasum habeo, propter text.

1. F. 1. in fin. 1. F. 7. & 24.

Neutiquam enim ejus naturæ inimicum est, ut pretiō com-
paretur.

Rosenthal. de feud. c. 1. concl. 2. & c. 2. concl. 6. n. 1.

& seq.

Nec, qvamvis emtione ceu modō licitō acquisitum sit, feu-
di essentiam mutat, sed adhuc expressè beneficij & qvidem
proprii nomine venit, ut variis rationibus probat

Dn. Struy. in Synt. J. Feud. c. 4. apb. 15. n. 2.

Positis hisce vera infertur conclusio, pacta retrovenditionis
in feudis qvoq; recipienda, masculèque esse propugnanda.

Schrad. Tr. Feud. p. 9. c. 1. n. 19.

§. 3.

Prætereà probè notandum, qvòd ut emtio venditio re-
ditum annuorum jure approbatur, ita etiam pactum retro-
venditionis admittat.

Wesenb. in ut. de usur. & fruct. n. 14.

C 3

Sive



SS:) 22. (:50)

Sive reditus in pecunia, sive frumento, vel aliis rebus constituantur.

per text. in l. 14. §. verum. C. de SS. Eccles.

Ipsi namque Pontifices recte rationi conformem judicarunt hanc venditionem annuorum reddituum.

in c. 1. & 2. Extrav. comm. de emt. vendit.

Add. Bald. V. 2. Conf. 154. n. 1.

Id. Vol. 5. Conf. 292.

Imò hodiernà luce majorem Theologorum & Canonistarum partem eam servare integrum, literarum monumentis consignatum reliquerunt

Tessaur. Dec. Pedemont. 154. n. 2.

Tiraqvell. de retract. gentil. §. 1. gloss. 6. num. 15.

Et rectè, me hercle, siqvidem reddituum annuorum emtionem venditionem sub hoc pacto usurarii contractus naturalm haud induere, ex seq. ratione perspicuum reddam. Cum emtionis venditionis essentialia in eo nequaquam deficitant, utriusque scil. contrahentis consensus, pretium, seu certa pecunia summa, & merx sive reditus annuus. Qvòd factum est, ut hicce contractus justâ ratione Sanctionibus Imperii fuerit approbatus.

Dn. Richt. Vol. 2. Conf. 335.

Matth. Coler. p. 3. c. 9. n. 155.

Nostræ tamen assertioni hanc annexandam censuimus limitationem, si nimium reditus isti justæ pensionis, puta de singulis centenis annuis quinque, limites non egrediantur.

Hartm. Pist. Obs. 65. n. 1.

Dn. Carpz. p. 3. C. 24. D. 13. n. 6. & 7.

Berlich. p. 1. Dec. 3. n. 5.

Carpz. lib. 4. Tit. 6. R. 48. n. 6.

Idque ipsum luculenter probatur ex

Ordin. Polit. de Anno 1548. sub Tit. Von wucherlichen
Con-

2029.

§:(23.) : 50

